



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Virtvtvm Adeptione, Siue De Instrvmentis
Assequendæ Virtvtis libellus R. P. Iacobi Alvarez De Paz
Toletani è Societate Iesv**

Álvarez de Paz, Jacobo

Coloniae Agrippinae, 1615

§. 4. De Conte[m]ptu sæculi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46634)

De Contemptu sæculi. §. IV.

Contemptus sæculi est abrenun-
ciatio tum exterior, qua fit ope-
re, tum interior, qua fit volunta-
te, omnium visibilium, propter amo-
rem Dei. Adiungitur fidei, iuxta illud; *Hebr. 11.*
Sancti per fidem deuicerunt regna. Et 33.
rursus: *Hæc est victoria, qua vincit*
mundum, fides nostra.

Incitamenta ad contemptum sæ-
culi, sunt i. Amor sæculi & amor Dei,
termini contrarij sunt; quod signifi-
cant illa verba Iacobi Apostoli: *A-*
micitia huius mundi, inimica est Dei. *Iacobi.*
Quicumque ergo voluerit amicus esse *4.4.*
sæculi huius, inimicus Dei constituitur.
Quare sicut qui vult locum superum
tenere, debet necessariò infimum lo-
cum relinquere; ita qui cupit ad Dei
amorem ascendere, debet per contemp-
tū sæculi ab eius amore separari. Nō po-
test quis simul esse in luce, & in tene-
bris, nec simul frigore rigere, & ca-
lore magno ad omnē laborē solui. Nō
ergò poterimus amore sæculi, qui si-
cut frigus est ab omnib. bonis operib.

C. 6. impe-

60 DE VIRTUTE FIDEI.
impediri, & amore Dei, qui calor est,
ad virtutum actiones incitari.

I. Sæculum ignorantissimum est,
quod bonos deicit, malos exaltat:
bona fucata diligit, vera contemnit.
Immundissimum est, quod omnia
peccata continet, & pro bonis gestis
defendit. Infidelissimum est, quod
dilectoribus suis, & pro se laboran-
tibus, curas & angores in hac vita,
& in alia damnationem impertit:
non igitur meretur diligi, sed ani-
mosè contemni.

III. Incitat exemplum Christi
Iesu, qui paupertatem, & vitæ asperi-
tatem amavit, regnum temporale
fugit, & in omni humilitate manere,
fallaci rerum mundanarum gloria
prætulit.

Actiones contemptus sæculi sunt:
I. Diuitias spernere, &, si à Deo spe-
ciali vocatione inuitemur, actione
relinquere.

II. Dignitates, tum sæculares, tum
Ecclesiasticas fugere: &, si ad eas ad-
mittendas à superioribus compella-
mur, non ex ambitione, sed ex deside-
rio

rio

rio obediendi, & diuinam voluntatem implendi, suscipere.

III. Honoribus & pompis sæculi valedicere, & ab eis tota contentione mentis abscondi.

IV. Voluptates & corporis ac sensuum delicias pro nihilo ducere, & tanquam res homine indignas auersari.

V. Propinquos & amicos, si animæ profectum impediunt, promptè deserere.

VI. Mores sæculares, & quicquid vanitatem sapit, promptè deponere.

VII. Cuncta visibilia despiciere, & nec minis, nec terroribus, nec suasionibus, nec laudibus, nec præmijs ad nimium eorum amorem inclinari. Imitantes Paulum, cui omnia uoluerunt. Dicebat enim: *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, Philip. 3. vt Christum lucrifaciam.* 8.

Postulatio contemptus sæculi.
Domine Iesu Christe, qui es thesaurus inexhaustus & infinitus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi, quiq; me ad te

62 DE VIRTUTE FIDEI.

cognoscendum, amandū, & diligendum creasti, miserere, obsecro, mei, & vincula amoris sæculi rūpe, & catenas concupiscentiarū, quibus illigor, tua immensa potestate dissolue, vt te bonum vnicum meum sitiam, & ob ementita bona, nunquā à te, omnium bonorum authore, discedam. Amen.

De Puritate cordis §. V.

D. Thom.
2.2 q.7.
art.2.

Puritas cordis est cogitationū, affectionū, sermonū, operumq; munditia. Ad iugitur fidei, quoniā impuritas in hoc consistit, vt Thomas ait, quòd res aliqua vilioribus immiscetur. Per fidem autem anima cū Deo inhæreat, sicut per iustitiæ principium fit, vt à rebus terrenis separetur, vnde & quod pura ab earum cōtagione subsistat. Et ideo ait Petrus in Actis: *Fide purificans corda eorum: & Paulus: Sanctificatus est vir infidelis per mulierem infidelem, &c.*

Actor. 15.
9.
1. Cor. 14.

Incitamenta ad puritatem cordis sunt I. Munditia corporis & vestimentorum, homini eam curanti, est iucunda, & salutaris, & alijs cum eo

con-